

NOBILISSIMO ATQVE INTEGERRIMO VIRO D. DOMINO MELIAN, IN SVPREMA SENATVS PARISIENSIS CVRIA CONSILIARIO ET INQVISITIONVM PRÆSIDI ÆQVISSIMO

PHILIPPVS HARDVIN DE S. IACQVES EYTONIAN.



SI Timotheus Milesius artis Musices author celeberrimus vt vetustæ, bene moratæ, prudẽterque cõiũctæ symphoniæ corruptor & abrogator; multiplicis, effœminatæ & lasciuæ introductor, quoniã systemate vteretur quod neruos plures magadide haberet, à Lacedæmonibus reprehensus & è Laconicâ ejectus fuit: Quid mihi non tantũ Endecachordõ aut Dodecachordon in mediũ proferenti, sed Musicã adulterio quodã cum Medicinâ cõmiscenti expectandum aliud esset, quàm quod hæ μουσικιατρικὴ propositiones non omnibus suis numeris absolutæ proindeque dissonæ à plurimis improbarentur: nisi tu (Præses Amplissime) *alter Apollo nostrum illud interuallis disiunctũ imparibus, pro ratâ tamen parte ratione distinctis* ἰατρομέλος, *numinis & nominis tui vbique terrarum suauissime resonantis concentu compleuisses: cùm tua præsertim dignitas, & in parentem meum tuæ tuorumque valetudini excubantem singularis id exigeret beneuolentia, & collatorum tot beneficiorum nunquam intermoritura recordatio, meæ erga te obseruantiæ perpetuum aliquod* τεκμήριον *postulare videretur. Quis enim mihi periculosæ plenum opus aleæ tractanti tutelaris & sospitator Deus extitisset, nisi is qui quotidie dissimiles, ac pene contrarios dissidentium hominum affectus innatâ harmoniâ &* μετριοπαθείᾳ *componit? in quo sapientiam, prudentiam, comitatem, liberales omnes disciplinas & corporis animique dotes vniuersas nemo non inspicit & suspicit. Liceat ergo mihi* (Præses Æquissime) *sub tuis fœlicibus auspiciis modulatè resonare, & hoc nostrum phthongis & diastematis* ἐμμελέσι *constans Pentachordon synemenon tuis insignibus exornare. Quod si pro ingenitâ humanitate tuâ, voti me mei compotem feceris & ex tuis fauis diffluente melle quasi viuifico nectare meæ vocis organa* ἡδυμελῆ *reddideris, astantium aures sonorum melodiâ permulcere & mirâ quadam voluptate perfundere non desinam, tibique in tanti beneficij memoriam deuotum me & æterno obsequij nexu deuinctum esse gloriabor.* VALE.

QVAESTIO MEDICA



QVAESTIO MEDICA

648

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXV. MENSIS IANVARII,

MAGISTRO THOMA GAMARI DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An in morbis biliosis ante pepasmum catharsis?



PRO humorum conditione varia est non tantùm animi & corporis dispositio, sed etiam morborum κατάστασις. Humor melancholicus, si cæteris præpollet, vt ferè fit autumno & inclinante ætate, tristes efficit, graues, & rebus gerendis aptissimos; corpus exsiccat, emaciat, & colore inficit nigricante: morbos verò parit diuturnos, & δυσπέπτους, non modo ægrotis, sed etiam Medicis acerbissimam crucem, cuiusmodi est melancholia morbus, (cui non rarò epilepsia succedit) & febris quartana omnium securissima. Pituita hyeme aceruari solita, pleniùs eliminanda: animi impetus retardat & obtundit; corpus saginat & candore glabritiéque conspicuum reddit; affectus autem licet simplices, longos tamen profert, nisi symptomatis alicuius vehementia præceps exitium moliatur, vt in tetano & apoplexia senibus familiari, quæ si venæ sectione non soluatur, aliis remediis frustra succurritur.



SANGVIS in adolescentibus verno tempore exultans animi mores ad omnem vrbanitatem efformat; corpus roseo colore pingit; à sanguine febres synochi frigidæ potione & phlebotomia ad lipothymiam celebrata curandæ. Bilis flaua iuuenili ætate, atque æstate sæpiùs, aliis quoque temporibus non rarò, à dulcium, salsorum, amarorum, acriúmque alimentorum esu, vini potu, inedia, mœrore, curis & vigiliis exuperans; ingenium industriámque exacuit; corpus exsiccat & pallore suffundit, calorem profert acrem & mordacem; necnon morbos breues, vt pleuritidem ἀνακαθάρσει intra quatuordecim dies semper soluendam (alioquin empyematis metus superest) anginam nullo tumore conspicuo funestam, erisypelas in quo refrigerando modum excedere periculosum, ardentem denique tertianámque febrem.



CHRONICI morbi λύσει ad salutem, marasmo verò ad interitum terminantur; acuti ad vtrumque κρίσει. Hęc omni tempore perfici potest. Feliciter à natura susceptam ne phlebotomia, clystere, medicamento, vomitu, diureticis, aliísque similibus interpelles; imperfectæ præsidiis eiusmodi succurras. Optima est quæ pepticis indicata τεκμηρίοις non abscessu, sed humoris noxii κατ' ἔξιν excretione morbum die decretorio expugnat. Superuenientia morbis acutis quantumuis grauia & vehementia symptomata ne reformides. Time vbi æger neque crisi leuatus, neque κατὰ λόγον. Ægris sudor è toto corpore plurimus & moderatè calidus in tuto rem esse significat; paucus, frigidus cum acuta febre mortem, cum mitiore morbi longitudinem prænuntiat.



IN morbis omnibus pepasmi iudicationem celerem securamque portendunt sanitatem. Male affecto hepate ventriculóque deiectio flaua, mollis & cohærens, nec valdè graueolens; thorace læso sputi non aquosi nec nimis crassi facilis anagoge; in vlcere pus vel sanies; in ophtalmia humor liquidus; in coryza & catarrho pituita moderatè crassa imprimis expetenda: sic in febribus biliosisque morbis vrina mediocri consistentia, colore verò subrufa coctionis index erit: quo tempore laboranti tutò possunt exhiberi cathartica, sed æstate quidem ægrè, in paroxysmo nunquam. Inter initia iusculis, syrupis, apozematis, glande, clystere, phlebotomia corpus εὔφορον efficitur, bilisque præparatur. Postmodum lenia cholagoga concedenda. Fuge scammonium & vehementiora, morbis longis aluo fluente nonnunquam vtilia, visceribus inflammatis & obstructis periculosissima, debilibus, insigniter cacochymis, & mulieribus grauidis infensissima.



PEPASMVS humorum est noxiorum ad mediocrem temperiem calore natiuo facta reductio. Hæc in bilioso morbo expectanda. Si prius enim naturam crudorum sarcina pænè tunc obrutam purgante medicamento lacessas, minimè bilem educes, sed potiùs irritabis, febremque conduplicabis; ægrotum verò torminibus & syncope affliges atque diuexabis, partésque corporis ipsi morbo resistantes magno virium dispendio liquefacies ac dissolues. Bilis crassa, initio viis contumaciùs adheret; tenuis, naturæ propellentis conatum effugit eludítque; ad mediocritatem deducta facilè à reliquis humoribus secernitur, secreta propellitur, propulsa per ductus elabitur, & medicamento trahente prolectatur.

Ergo in morbis biliosis non antè pepasmum catharsis. 95

Propugnabat Lutetiæ HERMANNVS DE LAVNAY Meduntanus, Anno R. S. H. M. DC. XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. IOANNES MARTIN. M. R.
M. PETRVS LE CONTE.
M. ÆGYDIVS LE BLANC.

M. GVILLELMVS DE VAILLY.
M. IOANNES MAVNOIR.
M. CLAVDIVS GERVAIS.

M. QVIRINVS LE VIGNON.
M. DIONYSIVS GVERIN.
M. IACOBVS LETVS.